DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ASCITE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ASCITE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALBERTUS H. CALLANAN,

HIBERNUS,

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. EXTRAORD.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

Crescit indulgens sibi dirus Hydrops,
Nec sitim pellit, donec causa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor. HORAT.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1807.

VIRO NOBILI ET ILLUSTRI,

JOHANNI EVANS FREKE,

BARONI DE CARBERRY,

IN COMITATU CORCAGIÆ,

ANIMI BENEVOLENTIA, VITÆ INTEGRITATE,

MORUM ELEGANTIA,

ALIISQUE VIRTUTIBUS

QUÆ HOMINEM EXORNANT,

EXIMIE CONSPICUO;

HAS PAGINAS,

OMNI QUA DECET OBSERVANTIA,

D. D. CQUE

ALBERTUS H. CALLANAN.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ASCITE.

Omnes corporis humani cavitates liquore seroso madefactæ sunt, ex vasis, *exhalantibus* dictis, effluente, qui, expletis muneribus, aliis vasis, *absorbentibus* dictis, sustollitur; et, ad justam et validam actionem inter hæc vasa sustinendam, necesse est, ut in æquilibrio sint; i. e. quantitatem laticis a prioribus effusam, posterioribus haustam esse opus est: et si hoc æquilibrium ullo modo turbatum fuerit, tunc adoritur morbus ille de quo in his pau-

cis paginis tractandum est, et qui apud medicos *hydrops* vocatur.

Hydrops aut partialis, aut universalis est: *partialis* nempè, cùm alicui parti speciali restrictus; et *universalis*, cum per totum corpus diffusus est latex; et prout locum, quem occupat, variis stipatur symptomatibus, et variis gaudet appellationibus; *hydrothorax* denominatur, cùm aquæ in cavum pectoris exundant; *hydrocephalus*, cùm in capitis; *ascitis*, cùm in abdominis, &c. &c.

De hoc posteriore morbo, de Ascite scilicet, nunc pauca dicenda sunt;—et, lector benevole, si in his paginis aliquid novi invenire speras, haud invenienda exspectabis; sed, nisi animus me fefellit, omnia, quæ de hac affectione lethale medicis cognita sunt, tàm de causis, quæ eam inducunt, quàm de remediis in usu ad eam amovendam, hîc notavimus. Igitur, " si quid novisti rectiùs

istis,

istis, candidus imperti; si non, his utere mecum."

Ascites a celeberrimo Culleno in duas species dividitur, et ita definitur: "Ascites *abdominalis*, cum tumore totius abdominis æquali, et cum fluctuatione satis evidenti." "Ascites *saccatus*, cum tumore abdominis saltem initio partiali, et cum fluctuatione minùs evidente." Hæ duæ definitiones sic inter se dissentiunt: in primâ specie, liquor serosus in sacco peritonei sive cavitate abdominis effusus est: in secundâ specie in ovariis, aut in saccis quibusdam visceribus abdominalibus affixis, includitur; et, rebus ita sese habentibus, sæpè non sine difficultate de verâ morbi naturâ dijudicatur.

De symptomatibus has duas species stipantibus, nunc in animo est pauca dicere.

Si

Si tumor ventris sensim accumulans, cum difficultate spirandi et sensu ponderis præcordia circum, cum urinâ parcâ, modò turbidâ, modò limpidâ, et sedimentum lateritium deponente, stipatus, aliquem invaserit; et præter hæc, si vultus pallidus sit, cum tumore molli pedum, vesperè ingravescente, manè sæpè evanescente; si sitis assidua, cum tensione abdominis æquali adsit, et, ægro resupino, si medicus, digitis alterutro abdominis lateri applicatis, dum alterum ex adverso ferat manu alterâ, murmur persentitur, quod sæpissimè accidit, aut impetum liquoris contra parietem abdominis, quem digiti petunt, ferentem, sentit; tunc proculdubio Ascite Abdominali afficitur æger. Perstante morbo, multa et varia alia adoriuntur symptomata: Turgidum et tensum fit abdomen: respiratio laboriosior fit, et pulsus tardior evadit, et sæpè intermittit: alvus modò laxa, sed plerumque adstricta est: Cutis arida: Saliva in minore quantitate secreta est: Lingua albida: Cibi desiderium ægro multùm minuitur;

tur; et ructus et inflatio ventriculi eum vexant. Nunc ingravescunt cruciatus. In decubitu de sensu suffocationis conqueritur æger, nam in hoc statu latex in diaphragma premit, cavitatem thoracis minuit, et dilatationem liberam pulmonum impedit, ex quo sequitur respiratio difficilis. Nunc forsan liquor serosus ferè in omnes cavitates corporis exundat; necnon per telam cellulosam diffusus est: nunc tumescunt brachia et pedes; et si iis digitus applicatus fuerit, puteolus superstit, qui paulo post evanescit. Nunc, aut forsan initio morbi, supervenit tussis cum expectoratione copiosâ, sanguine sæpè commistâ. Ex somno subitò excitatur, æger insomniis terrificis fatigatus. Nunc vires vitæ illicò languescunt, et mors aspectu acerbo, sed amicâ et oblatâ, miserum mortalem ex cruciamentis liberat, vitæ finem imponendo. Modò huic antecedunt coma et convulsiones: Modò efflat animum æger placidis suspiriis.

Altera species, quamvis in progressu temporis valdè lethalis est, tamen lentiore gradu progreditur, et symptomatibus levioribus stipatur. Hoc explicatu haud difficile erit, cùm memoriâ teneamus, quod sæpè partes, malè sese habentes, ad vitam sustinendam minimè necessariæ sunt, et in iis latex coërcetur, ut in ovariis, in quibus aqua in vasta mole colligitur sine impediendo functiones vitales.

His nunc dictis ritè perpensis, hoc, ni fallor, deducere possumus conclusionem, quod periculum ex affectione ullius partis corporis humani oriens, haud in ratione est violentiæ istius affectionis, sed in ratione affinitatis inter organum ex morbo laborans et principium vitale pendentis. Notatu dignum est, quod in fœminis ovaria sæpissimè magnam acquirunt molem, et in eo statu per longum tempus manent sine exitu illo, qui proculdubiò contingerit, si in thoracem, aut caput, aut

abdomen

abdomen in tantâ quantitate exundaverit latex.

Hydrops ovarii ascitæ tam similis est, ut sæpè haud sine difficultate ex ea distingui potest; sed, ni fallor, hoc accidit in provectiore morbi stadio solummodò. Sub initio morbi, tumor in uno latere persentitur tantùm, in quo fluctuatio minimè obvia est. Sed sensim auget, tumescat, fluctuat; functiones animales et vitales haud mali sese habent per aliquod tempus: Sed augente mole vultus pallet, urina minuitur, alvus adstricta, spiritus difficilis est; uterus fluore albo modò afficitur; catamenia modò adsunt, sed plerumque haud ordine solito fluunt.

Sed cùm hepati, renibus, spleni et aliis visceribus intra thoracem et abdomen comprehensis, sacci hærent, liquore nunc spisso, nunc tenue, distenti, nulla, credo, cognoscimus symptomata pathognomonica, ex quibus veram morbi naturam decernere possumus: et

equidem

equidem quamvis medico cognitum fuisset, saccos his visceribus affixos esse, et liquore plenos, haud multùm valeret; nam, eheu, in hoc statu rerum, ars medica nihil valet. Cadaveribus incisis, in his tumoribus hydatides sæpè inveniuntur, modò sacci parietibus fixi, modò in latice nantes.

DIAGNOSIS.

Quoad ad diagnosin attinet, cùm ortum et progressum morbi memoriâ teneamus, sine difficultate de verâ mali naturâ et sede dijudicatur. Cùm latex in cavitatem abdominis exundet, ex sensu fluctuationis, ex tumefactione, ex urinâ parcâ et rubrâ, ex vultu, et ex multis aliis indiciis anteà recensitis, diagnosin certissimam formare possumus. Morbi, cum quibus sæpissimè confunditur Ascites,

tes, sunt *Tympanites* et *Physconia:* et ex his, me judice, perfacilè internoscitur.

In *Tympanite* nulla persentitur fluctuatio, et, integumentis abdominis percussis manu, sonitus eduntur, illos tympani referentes. In hoc, sitis haud assidua, urina haud parca et rubra est; et multum levaminis ægro præbetur exitu flatûs sursùm et deorsùm.

Ex *Physconiâ* plerumque facilè dignoscatur, mole tumoris, gradatim crescente, situ et formâ; et in hac absunt sonitus et fluctuatio.

Fertur ascitem sæpè *graviditatem* mentiri sed ullam similitudinem præter abdominis intumescentiam, hìc contingere omninò nego. In gravidis sæpissimè œdemate afficiuntur pedes; ex qua fonte forsan, hic error originem duxit.

Inter acsitem *abdominalem* et *saccatum* distinguere haud difficile erit, si memoriâ teneamus, ea in historia tradita, præsertim cùm ovarii sub hydrope laborant. Sed cùm visceribus sacci anteà memorati hærent, plerumque haud in promptu est sedem et naturam morbi explorare. Cùm res ita sese habent, tumor in aliquâ parte abdominis inæqualis et sensim crescens persentitur; in quo fluctuatio per longum tempus, saltem haud clarè, se manifestat. In quibusdam exemplis vastam hic tumor acquirit molem; in aliis, per multos annos in statu quo manet.

Clarus noster MONRO, in prælectionibus suis pretiosis, nobis narrat, adipem in magnâ quantitate collectam pro hydrope abdominis sumptam fuisse. Sed quomodo hoc accidere potuisset, haud concipere queo: nam abfuêre symptomata ascitæ propria, velut urina parca, pallor faciei, pedum œdema, fluctuatio, et multa alia anteà dicta.

DE CAUSIS.

In nullâ re errant medici magis, quàm in opiniones formando de causis morborum; et fons ex quo errores eorum fluunt, est, forsan, quod in animo tenent paralogismum apud logicos versatum, "*Post hoc, ergo propter hoc.*" Sed hoc ratiocinium plerumque falsum et futile est; præcipuè in medicinæ scientiâ, ubi plurima in tenebris jacent. Inter multos homines, iisdem causis morbi subjectos, semper fit, ut quidam salvi evadunt, alii ægrotant: et ea, quæ malis prædisponunt, et quæ ab illis immunes reddunt homines, eheu! nos latè fugiunt. Igitur non nostro in animo est de hoc descendere in arenam, et sufficiet ut enumeremus causas quas

medici

medici ad hunc morbum producendum plurimùm valere dicunt.

Nos compertum habemus, ea omnia, quæ debilitatem inducunt, corpus humanum ad morbos proclive reddunt. Igitur inter causas hydropem inducentes *debilitas*, ex quibuscunque causis oriens, enumeratur; et equidem multùm valet, ut dira experientia in dies confirmat. Sanguinem attenuat; cursum ejus pigrescere facit; vasa relaxat; et hoc modo effusionem seri ex vasis exhalantibus auget et promovet, et vasis absorbentibus in universâ labe participibus factis, munera sua perficere negant. Succedit hydrops, sequela inevitabilis talis corporis statûs.

Sed præter debilitatem, sic strictè dictam, varias alias causas adducunt medici, quæ multùm valent ad hydropem inducendum; et inter has primum forsan tenet locum nimius et continuus *alcoholis* usus. Si adeas prælectiones Gregorii, ibi ex claro viro disces, plerosque

plerosque horum sub hydrope in hac regione laborantium perpotatores esse. SYDENHAMUS, de hydrope agens, dicit, "bibacissimos quosque Helluones sæpiùs hoc morbo, quàm cæteros mortales conflictari." His nostris temporibus, ni fallor, numerus eorum qui ab usu hujus veneni (nam equidem naturam veneni participat) pereunt; multo major est quàm in illâ ætate in quâ floruit SYDENHAMUS, stragesque nunc temporis ab hac causâ originem ducunt, et diræ et luctuosæ sunt. Animum æquè ac corpus debilem reddit; ventriculum doloribus atrocibus et cruditate angat. Viscerum obstructiones induci, præcipuè hepatis, causam usitatissimam hydropis; nam nunc cursus sanguinis per hoc viscus impeditur; in vasis magnis vicinis accumulatur, ex quo fit, ut exundat in abdomen serum: nam omnibus notum est, exhalationem plerumque proportionalem esse quantitati sanguinis per vasa fluenti.

Multæ

Multæ aliæ causæ, quæ homines ad hunc morbum proclives reddunt, apud medicos enumerantur; ut ætas, vita otiosa et sedentaria, exinanitiones; diæta parca; usus narcoticorum, ut theæ nimia; morbi antecedentes. Sed hæc omnia, me judice, hoc malum inducunt, quia hominem debilem invalidumque reddunt; et inde ex necessario hydropi obnoxium. Paralysis vasorum absorbentium, pro causâ hydropis adducitur; sed, ut credo, perrarò occurrit.

QUÆDAM DE CONSILIIS MEDENDI.

In hoc morbo, ut in omnibus aliis, quibus patet gens humana, indicia medendi ex duobus consiliis constant; nempè morbum tollere, si fieri potest; et ne redeat cavere.

Ad

Ad aquam ex hydropicis eliciendam, multa et varia remedia in usu sunt; sed hæc omnia forsan eodem modo agunt, nempè secretiones aquosas augent et promovent.

Sub hac classe enumeranda sunt, Diuretica, Purgantia, Emetica, Sudorifica, et Sialagoga.

De his nunc pauca liceat dicere.

Diuretica.—Hoc nomine gaudent ea medicamenta quæ urinam movent. Nobis haud consilium est de his singulatim tractare: adeò numerosa sunt, ut non paucas paginas, sed equidem volumen, historia eorum impleret. Igitur sufficiet, ut ea ex hac classe medicaminum seligamus, quæ sæpissimè usurpantur, et quæ plurimùm valent. Hæ sunt, Scilla maritima, Digitalis purpurea, Juniperus communis, et Supertartris Potassæ.

Inter

Inter remedia diuretica primum forsan tenet locum *Scilla maritima*, et vires ejus diureticæ magnoperè augentur, si cum *hydrargyro* conjuncta fuerit. GREGORIUS noster, cujus opinio meritò apud omnes multùm valet, et summam observantiam sibi jure vindicat, hæc duo remedia conjuncta, omnibus aliis diureticis, longè anteponit; præsertim si obstructiones viscerum abdominalium pro causâ morbus habuisset. Incipiat æger granum unum scillæ exsiccatæ, in pilulam formatum, bis vel ter in die sumere; et sensim augeatur, si nec nauseam, nec vomitum, induxerit. Eodem tempore affricentur crura aut parietes abdominis unguenti hydrargyri drachmâ manè et vesperè; aut adhibeatur hydrargyrus sub formâ pilularum, et hoc modo pergat æger ad diuresin usque.

Digitalis purpurea.—Hoc remedium multùm laudant medici: et profecto quâ diuretica vires ejus magnæ et miræ sunt. Sed aliis remediis præpotentibus, similis usus ejus haud

haud sine periculo aggreditur. Imprimis adhibeatur in parvis dosibus, ut sunt guttæ decem tincturæ, aut granum unum foliorum siccatorum pulveris, bis in die; sed augeatur sensim quantitas. Ipse ægrum vidi sub hydrope laborantem, qui, variis aliis remediis diureticis frustrà adhibitis, guttas triginta tincturæ digitalis, per hebdomadam sumpsit: tertio die urina copiosè fluxit, et paulò pòst sanitati restitutus est; et equidem sæpè fit, ut, cùm omnia alia remedia frustrà adhibentur, digitalis purpurea eventum optatum efficiat. Liceat hìc notare, quod, tincturâ in ventriculo receptâ, multò sæpiùs adoritur nausea, et alia signa infausta, quàm si sub formâ pulveris adhibita fuerit. Si nausea, convulsiones, aut tremores adoriuntur, statim intermittatur.

Supertartris Potassæ.—Ab hac medicinâ hydropem abdominalem sæpissimè amotum, testatur Doctor FERRIAR. Plurimis hydropicis eam adhibuit summo cum beneficio; et

sanè laudes eximiæ, quæ multi alii medici insignes illi tribuunt, hanc abundè sanciunt sententiam. Medicus clarus jam dictus eam adhibuit cum *gambogiâ* conjunctam; illius unciam unam, cum hujus grano uno, in electuarium formatam, in die sumendam jussit, summo cum beneficio. Plerumque accidit, quod sitis assidua hydropicos vexat; tunc hujus medicinæ solventur drachmæ quatuor aut sex in aquæ quantitate, et solutione gratâ ope sacchari redditâ, eam bibat æger indies pro potu commune. Liceat hìc notare quod supertartis potassæ majore vi gaudeat sub formâ priori, quàm posteriori, adhibita. In hac quà diuretica solùm pollet; in illâ alvum plerumque fusè movet, et hoc modo, necnon valente virtute diureticâ, plùs minusve, potenti, benefacit.

Juniperus communis.—Sub forma spiritûs compositi, in hydrope porrigitur; et equidem in multis exemplis vires diureticæ ejus præpotentes sunt. Hujus triental cum aquæ

libris

libris duabus et sacchari paululum, potum valdè gratum faciunt; cujus capiat æger uncias quatuor ter in dies.

Purgantia in hoc morbo plurimùm valere omnes medici unanimiter testantur. Ea quibus plerumque utuntur sunt, *jalapa*, *senna*, *aloes*, *scammonia*, *gambogia*, *submurias hydrargyri*, et *sales medii*: sed propter debilitatem quam longus et continuus purgantium usus induceret, forsan meliùs est ea cum remediis diureticis conjungere, aut alternare.

Quod ad usum *emeticorum*, et remediorum quæ sudorem movent, in hoc morbo, attinet, his regionibus haud usurpantur, argumentum gravissimum quod non multùm prosunt.

Ex remediis *sialagoga* dictis, in hydrope, *hydrargyrus* solùm usurpatur. De actione ejus in corpus plerumque ignoramus, et de usu in ascite anteà diximus.

Sæpissimè

Sæpissimè fit ut hydrops omnibus remediis diureticis pertinaciter resistat. Quid tunc fieri? *Paracentesis*,—spes ultima! sed in hoc, ut in multis aliis exemplis, fallax; nam post aliquot dies plerumque iterum in abdomen exundat latex, in majore mole quàm anteà, et quò sæpiùs factus fuerit paracentesis eò majore quantitate et citiùs aqua, præsertim in provectiore ætate, accumulat. Ægro sanitati restituto, evitare debet morbi causas remotas, præcipuè eas quæ debilitatem inducunt.

Nunc solùm nobis manet, ut, perstante morbo, pauca de *diæta* et *regimine* dicemus. Satis notum est, ut anteà diximus, huncce morbum ab debilitate sæpissimè oriri. Re ita sese habente, clarè patet, quod si causa non agit effectus nullatenus produci potest. Igitur cibus nutriens debet esse, ex lacte, jusculis,

culis, aut carnibus recentibus confectus. Pro potu commune habeat æger cerevisium *porter* dictum, aut vinum rubrum cum aqua commistum. Sed si viscerum obstructiones pro causa morbus habuisset, tunc forsan meliùs foret e vino abstinere, aut saltem eo continenter uti. Sero e corpore eliminato, cinchona, ferrum, aut sub forma oxydi aut chalybeatarum, ad corpus roborandum multùm valebunt.

FINIS.